

Biogr. er. D

1573,48



# SOLENNIA PIETATIS,

Quæ

DI<sup>s</sup> Manibus

Profsapia Nobilissimi, Virtutibus

Strenuissimi, Honoribus Eminentissimi, &

undiq; Summi Viri,

DOMINI

GEORGII SIGISMVNDI

FVRERI,

AB ET IN HAIMENDORF, ETC.

Inclutæ Reip. Noribergensis Trium-

viri Senatoris, Ecclesiarum Scholarumq; Ephori

Supremi, Pupillorumq; Architutoris, &c.

In alma Altdorfina Academia,

tot tantisq; ab Eo ornata beneficiis,

libens meritoq;

præstítit

JOH. CHRISTO HORVS WAGENSEILIVS,

ante diem XXX. Junij A. C. cl<sup>o</sup> I<sup>o</sup>c LXXVII.

Biogr. erud.

D.  
1573, 48

Noribergæ, Typis Christophori Gerhardi.

Sächsische  
Landesbibliothek  
Dresden

R E C T O R  
VNIVERSITATIS ALTDORFINÆ  
**JOHANNES SAVBERTVS,**  
S. THEOL. D. PROF. PRIMAR.  
ET ECCLES. ANTISTES

*Lectori*

S. P. D.



Liquot ante menses insigne atque etiam memorabile  
Senatus populiq; Norimbergensis oculis spectaculum ex-  
hibuit publicum funus VIRI Magnifici Nobilissimiq; &  
maxime Strenui DN. GEORGII SIGISMUNDI  
FVRERI, ab & in Haimeendorf, Steinbühl & Himmel-  
gart, &c. Reip. patriæ Triumviri & Proto - Scholarchæ  
gravitate & prudentiâ prope singulari. Cujus eqvidem funeris tanta fuit  
acerbitas , ut contineri nequaquam intra Nobilium propinquorum gemi-  
tus , luctus vulnusq; tam altè adactum posset , qvin palabunda latè tristitia  
omnes desiderio ejus , qvi nunquam sibi , semper omnibus vixerat , imple-  
ret. Præsulum desinentes in meros ululatus voces , templa planctu lamen-  
tisq; horrida , scholæ pullatæ & squalidæ , civium per ora rorantes lachry-  
mæ vultusq; in terram dejecti , duri plorantium puerorum concentus , &  
horrisoni campanarum mugitus, indubitata erant magni doloris argumen-  
ta. Curia nobilem sui partem & ornamentum, Ecclesia summum Patronum,  
Musæ Deum Tutelarem, orphani Parentem, Justitia Vindicem, urbs deniq;  
universa dulce decus & præsidium, divelli à se & abripi miserandum in mo-  
dum conqverebantur. Ipsi Patriæ Patribus furvô syrmate involutis ca-  
lamitosum videbatur ac lamentabile , duris hisce temporibus tantô adjuto-  
re orbari & sociô , cuius egregiam operam tot annorum usus , tot mune-  
rum, qvæ prudenter & fideliter obiit , varietas, jam pridem commendâset ;  
qvemq; in capiundis consiliis Nestorem singulariter & mirabantur & dili-  
gebant. Sanè quoties ex FVRERO aliquid abditum quarebatur , ille thesaurus  
erat. Jam quanta sermonibus ejus fides ? quanta auctoritas ? quam pressa & decora  
cunctatio ! quid erat , quod non statim sciverit ? & tamen plerumq; hesitabat. Dubi-  
tavit diversitate rationum , quas acri magnoq; judicio ab origine causisq; primis repetuit,  
discrevit, expendit. Ornabat hæc magnitudo animi , qvæ nihil ad ostentationem, omnia  
ad conscientiam retulit, recteq; facti non ex populi sermone mercedem , sed ex facto petuit.  
Qvæ omnia in FVRERV M nostrorum apprimè quadrantia de Aristone Ti-

to jam olim prædicavit Plinius Cæcilius Secundus. Hæc itaq; tantarum virtutum recordatio eò mentes exulcerabat acriùs , qvò quantum virum , quantum Senatorem amiserint, videbant luculentius. Est namq; hæc magnorum bonorum in doles, ut quantò dulciùs possessa recreant, tanto crudeliùs amissa torquent ; rosæ instar , qvæ ubi defluxit, meras relinqvit spinas ; solis instar , cuius quò amabilius in ortu est ostrum, eò tristior umbra est in occasu. Et verò sit sua tantorum bonorum jacluræ vis ad exulcerandos superstitem animos ; est tamen suum qvoq; in memoria nostra factis FVRERI heroicis virtutibusq; robur ad eosdem deliniendos. Vivit ille vivetq; semper , atq; etiam latius in memoria hominum & sermone versabitur , postqvam ab oculis recessit. Narrabunt gloriam ejus , non marmora , non saxa, non columnæ, non statuæ, non Pyramides, non Mau-soléa, non templa vel Colossi ; (apage enim fragilem hanc æternitatem !) sed monumenta qvovis marmore ac ære perenniora , *qua non imber edax aut aquilo impotens posse diruere, aut innumerabilis annorum series* ; monumenta intelligo ingenii & literarum , qvæ solæ id cum DEO parente suo commune habent, ut sepultis etiam vitam reddant & immortalitatem. O felicem beatumq; FVRERVVM , qui non tantum vivus legit scripta de se carmina , legit præconia, & posteritati suæ interfuit, sed & cuius felicitati supremus hic accedit cumulus , laudator post funera eloquentissimus ; isq; Collega permandus , VIR Nobilissimus , Amplissimus , Consultissimusq; DN. JOH. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIVS , J.V.D. Serenissimo Celsissimoq; Principi ADOLPHO JOHANNI , Comiti Palatino Rheni &c.&c. à Consiliis, & cura Principum Filiorum , Jurisq; Publ. & Lingg. Oriental. hac in Vniversitate P.P. longè Clarissimus. Hic crastinâ diei luce datô æris campani signô, Beatissimi DN. Ephori & Proto-Scholarchæ qvondam nostri merita & laudes Oratione solenni decantabit, cumq; non picturâ qvadam vel statuâ, qvæ agrestium sunt magistræ, sed more Romanô, gravi & erectâ virtutum commemoratione venerabitur. Perfungimini ergo & VOS , ita observantissime , per officiosè amanterq; rogo & hortor,

**Magnifici , & Strenuissimi DOMINI SENATORES ET  
PATRIÆ PATRES,**

**Per - Illustris & Generosissime DOMINE BARO,**

**Magnifice DN. PRO-CANCELLARIE,**

**Excellentissimi Ordinum omnium DNN. PROFESSORES,**

**Nobilissimi ac Eruditissimi DNN. STVDIOSI,**

cæteriq; omnes, qvi FVRERVVM vel unqvam observârunt vel dilexerunt, extremô hoc pietatis munere, freqventiq; concursu & benevolâ audientiâ Divis ejusdem Manibus justa persolvite, illud Siracidis revocantes in memoriam : *Laudemus Viros Illustres, & in generatione sua majores nostros ! Multa glorioſa per ipsos preſtitit DOMINVS.* Valete.



Proceres Inclutæ Reip. Noriber-  
gensis.

Vos , quos horum sacrorum Au-  
spices ac testes vocavimus ,  
Nobilissimæ juxta ac vetustis-  
simæ Furerianæ gentis magna  
incrementa .

Magnifice Rector.

Nobilissime & Consultissime Pro-  
Cancellarie.

Excellentissimi Profesores.

Tuq; reliqua, Virorum, Juvenum,  
vario elogiorum honore me-  
moranda concio.

**B**onum factum! non tam sœva, & infesta virtutibus tempora incurvavimus, ut simul cum rectè gestis, laudationes quoq; interciderint, illudq; probrum seculo nostro objectari poscit, quo suam ætatem Plinius Junior infamavit, nempe postquam laudanda facere desierimus, laudari quoq; nos desissē. Nam, si aspiam gentium, supersunt utiq; Noribergæ in urbe nostra, Virorum egregiorum quædam quasi portenta, qui amant Bonam Mentein, qui Virtutein verumq; laborein factis asidue exprimunt, qui magnæ fortunæ præfidiis omnibus atq; ornamentiis instructissimi, omni regnantium arte exculti, novam quotidie laudis materiem suppeditant; digni prorsus tanta Republica. Siquidem, ut alia mittam, & ea tantum dicam, quæ ad nos attinent: Postquam haud ita pridem Furiarum maxima triste incinuit Clasicum, &

- - - - *Discordia tetra*

*Ferratos Belli postes, portasq; refregit:*

Postquam Europam, quaqua patet, universam, ferrum atq; ignes ita miscuerunt, ut si unquam, nunc certe illud Aristophanæum vere possit quis augurari:

- - *Tὰ δὲ πέρι τερεραὶ νέγρερε θήσει  
Ζεὺς υψηλούμετης.*

Illico pasim indictum literis iustitium, nec deserit tantum & occludi, quasi afflata pestilenti sidere cœperunt Musarum Gymnasia, sed adeò, alicubi occupata militari furore, in equilia & haras fuere conversa, sordentq; sterquiliniis. At, no-  
ster

ster Magistratus, etsi suam ditionem, coīmuni tempore in calamitati, vehementer quoq; implicavit fortunæ publicæ pertinax indignatio; atq; omnia in Vrbe, & extra eam, squalore, lamentis & desperatione, ob impeditissimas ærarii rationes, ob sævos militum transitus, & frigidum horrorem incutientia hiberna, ob tributorum atq; exactionum acerbitates, oppleta haec tenus fuerunt; id tamen manibus, quod ajunt, pedibusq;, solicitudine & labore infagibili, suminopere egit, ut hoc Sapientiæ & Literarum Prytanæum, sartum tectum servaret, atq; ut nos, ejus alumni, mirando magis quam metuendo, bellum enorime, horrendum, ingens, in alto otio, molliq; secessu, ac ipsius securitatis sinu, studiis operari, & Pacis artes ac decora, docere & discere possemus. Quamobrem, armis circumquaq; strepentibus, nostra nobis constitit quies, & quietis fiducia; non secus ac Homerici Heroës, ope Deorum, cava nube circumsepti, in ipso prælia ardore, inter volitantia tela impune versabantur. Nec immerito hanc Academiā, Olympi montis fortunæ quis assimilaverit, cuius nubes despectans innoxius vertex, beata semper serenitate renidet. Quid verbis opus est? fama tam florentis rerum nostrarum status, impulsus Serenissimus ac genere virtuteq; Regalis Princeps, ADOLPHVS JOHANNES, Comes Palatinus Rheni, in disjunctissimis terris degens, interfusoq; oceano, ac jugis altissimorum montium dissociatus, ab ultima usq; Thule, (hoc enim nomen cum multis Eruditorum, de Scandinaviâ interpretor) ultro ad nos venit, & utrumq; filium Principem, sacrosanctum pignus, apud nos depositum, iisq; disciplinis imbuendum commisit,

misit, quæ tantos ortus, tantam indolem, tantam fortunam  
 decent & ornant. Quæ cum ita sint, scelesti profecto essemus atq; impii, si ea, quæ benignè facit munificentissimus  
 Senatus Noribergensis, ingrata habeamus atq; irrita ; si ad  
 tot immortalia de nobis merita conniveamus , nec summa  
 cura enitamur, ut illius beneficia, nostram fortunam, vivo  
 perenniq; encomio, per literati orbis, ac seculorum, quanta-  
 cunq; erit, amplitudinem circumferamus, & ad cœlum usq;  
 tollamus laudibus. Nonne omne id, quod in nobis ingenii  
 est aut exercitationis, Optimorum Patronorum obsequiis ad-  
 dicere ? nonne vires, labores, spiritum, ac postremo vitam  
 ipsam, iis impendere, fas & æquum postulant ? Harum vero  
 rerum omnium fructum , vel iimpriuis à nobis referre suo  
 jure debet, qui nuper has sedes reliquit, terrisq; excedens, in  
 æthera elevatus est , *Nobilissimus, Strenuissimus, Am-*  
*plissimus & Prudentissimus Vir, Dominus GEOR-*  
*GIUS SIGISMUNDVS FURERUS,*  
*ab & in Haimendorf, inclutæ Reip. Noribergensis*  
*Senator Triumvir, quando ob Ecclesiarum Scholarumq;*  
*quam per universum fere duodecennium gessit, supremam*  
*præfecturam, proprius nos curavit, nostramq; salutem actu-*  
*tulam, sibi unicè habuit commendatissimam.* Illi exento  
 inter ipsam præclare de hac Academia merendi industriam,  
 debemus utiq; cæmoniam funebrem, & exequiales ritus,  
 ut vitam ejus præsidio, & mortem luctui nobis fuisse teste-  
 mur. Plures esse munes erga nos juvabit, si gratia mune-  
 rum non cum ipsis cadit. Tuin vero commemoranda publi-  
 citus

citus sunt tantarum virtutum momenta, & sacranda per memores fastos, ut exemplum inde sibi sumant superstites posteri; ad cuius normam, vitam actionesq; suas componant. Quod ego dum molior, sane magna me invadere potuissem trepidatio, si meopte auspicio consilioq; rem arduam fuisse aggressus. Nam Rhetorum præcepta me nunquam gnaviter didicisse, meumq; qualemq; ingenium, nullo idonearum artium instruclu, nulla dicendi facultate sublevari, libens agnosco. Et verò, quoniam infacundo homini palam mutire periculum esse ajunt, maluissem utiq; porro ætatem, ceu antehac à me semper factum est, immortalia Magni F V R E R I merita, privata pietate intra conscientiam colere, quam paupertini sermonis vitio, eadem pro conacione elevare ac deterere. Sed enim, quia aliud visum iis, quorum voluntas pro imperio sufficit, mihiq; etiam valde reluctanti, nec dissimulanti tenuitatem & linguæ balbutiem, hanc provinciam instantissime demandarunt, credo, quod in materia per se maxima, minima eloquentia opus esse arbitrarentur, desii tandem existimare, me justas excusationum causas habere, & pesimus Oratorum, de Virorum Optimo verba facere suscepi. Nempè, certa spes erat, fore, ut nuda rerum magnarum commemoratio, omnium, qui humanitatis & honestatis aliquo sensu tanguntur, animos delectet ac permoveat: cum virtutem fuco aut pigmentis incrustatam, in theatrum educere quisquis laborat, sapientibus ac cordatis nihil aliud agere videatur, quam ut cum ratione insaniat. Quapropter exequar destinata, & simplici ac candida, ceu vita Viri erat, dictione, percensebo totam Nobilis-

B

simi

simi FVRERI ætatem, ut natus fuerit, utq; adoleverit, ut ad virilis ætatis robur pervenerit, & ut deniq; honore gloriaq; mactus, & vitæ satur fecerit vivendi finein. Hoc dum ago, Vos, quotquot adestis, Auditores omnium ordinum Honoratisimi, in amoris & observantiæ Vestrae erga defunctorum significationem, præbete quæso proprias aures, & linguis causæq; bonæ favete. Eja, agite, una simul, ego loquendo, Vos, dictis annuendo

*Daphnini ad astraferamus : amavit nos quoq;  
Daphnis.*

Equidem, possem omnino, modo liberet, talem FVRERO nostro laudationem facere, quali Attius Vlyssem in Philocteta suo ornavit, &, qua elegantiorem nullam fieri à quam posse, Apulejo, in de DEO Socratis libello yisum fuit. Hoc est, possem τὰς ἔφην linquendo, sine ulla mora & confessim, à Viri virtutibus orationem ordiri, & in hoc solo arguimento continuare, ac absolvere; novissimisq; verbis, velut in transcursu, Patriam memorare & Parentes, solis nominibus. Sed vero, non placet mihi illorum Philosophia, qui à fortunæ bonis, tanquam rebus extra hominem positis, quenquam recte laudari pernegant, atq; imprimis generosi decus sanguinis, splendores illustrium imaginum, laureatos postes, & antefixa trophæa, magna verborum arrogantia, extenuare audent, ac pæne floccifacere. Quam enim illibrale, iners, & à recta ratione alienum est, agnoscere, in plantis ἐμφυτού aliquod bonum, cuius vi qualitates in propaginibus latissime diffunduntur? non diffiteri, inesse equis & juvencis

juvencis patrum virtutes, harum tamen prærogativas reruin adimere velle homini? Atqui, cum suos quibusq; integris nationibus mores proprios, infixos & implantatos, radicitos quasi esse, nemo unus eat inficias? Nihil causæ excogitare licet, cur non idem seorsim de familiis asseratur, ratumq; penitus sit, haud leve momentum alicui afferre, nascendi lortein & conditionem. Quin, si maxime aliter ista se haberent, nihil minus, ceu recte Tullius judicavit, uti quisq; bonus est, ita maxime favet Nobilitati: Et, quia utile Reipublicæ, nobiles homines esse dignos majoribus suis; &, quia valere apud posteros debet, claroruin hominuin, & bene de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum. Eccui vero obscura esse potest, Divini Numinis, circa nobiles familias, saltem inter Christianos, benigna provisio, qua, certis intervallis, perennitatein earum distinguit, & solennes circuitus orbesq; magnis fulgoribus illustrat? Quamobrem, est profecto, est eximum omniq; vulgari captu sublimius aliquid, in illo sanguine, ex quo DEV S Heroas format; & Ecclesiæ suæ paraftatas, publicarumq; moderatores utilitatum producit. Hæc, quia sic se habent, non possumus segregare ab oratione nostra considerationem Furerianæ gentis, quæ apud Triboccos, Nemetes & Vangiones, ab octo amplius seculis, equestri dignitate floruit, & perpetuis mutuisq; conjugiis Nobilitati Alsaticæ fuit innexa. Viget in his locis etiamnum memoria Furerorum in faxis & trabibus, in cippis & titulis, celebrantq; Cœnobiorum diptycha, impensas, in templo, pauperes, & quæcunq; causaruin piarum nomine donari dicuntur, copiose & insigniter

B 2

ab

ab iis factas. Memorant Annalium, quos tempus edax rerum prope absuīs, lacera fragmenta, res, domi militiaeque, bene & fortiter his autoribus gestas. Non est nostri instituti, istis recensendis nunc immemorari, & per gradus singulos, in ultimam Gentis ire originem ; nam, & infiniti laboris, & longi temporis hoc foret negotium, justamque & propriam scribentis requirit sedulitatem. Proinde, Historicorum aut Genealogiarum conditorum majoribus lucubrationibus haec relinquentes, omnia, sicco, quod ajunt, pede praetergredimur. Circa illa tamen tempora paululum subsistendum est, de quibus post grave, damnosum & tantum non exitiale Germaniae nostrae Interregnum, vel potius *avagxian*, non abs re praedicare licebat, illud Maronianum :

*Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.*

Nimirum, cum ob bellorum tam exterorum, quam intestinorum diuturnitate, viduitateque; veri capitum, propemodum actum esset de communis patria, & vix ulla spes salutis relinqueretur, praeter opinionem, mutato ordine, in novas rerum vices fata ire coeperunt, fatisque potentius Numen, incolumenti Germaniae, & felicitati æternæ Austriacæ Domus propitia sidera temperando, Rudolphum Habsburgicum ad res perditas restituendas, velut ex alta machina demisit. Hic vero Imperator, REINWALDI FVRERI, prudenter, multoque usi exercitati viri, consiliis plurimum usus est, eumque ad prima, & omnibus Scriptoribus decantata illa Comitia, quæ Noribergæ indixerat, proficisciens, comitem sibi adsciverat. Cum Reinaldo patre, simul ivit CONRAD

DVS

DVS Filius, adolescens præclarissimus, qui amœnitate urbis nostræ, & Genii loci intaminatis illecebris plane captus, non invito parente, nunquam inde excedere, sed ævi reliquum hic transigere constituit. Quamobrem, ut tanto melius lares & fortunarum sedein Noribergæ figeret, *Elisabetham Pömeriam*, Patriciam & Florentissimam virginem, conjugem duxit, & ex ea liberos suscepit utriusq; sexus. Hoc igitur est felix faustumq; initium Furerianæ in urbe nostra Familiæ : hoc fundamentum ejus prosperitatis. Vnde patet, si quidem magna parvis componere conceditur, Furerianam gentem, cum Anstriaca, quasi eorundem auspiciorum consortein esse, atq; huic Orbis, illi urbis pulcherri- mæ regimen, cœlestem Providentiam, quæ virtutes benignissimè fovet, uno consulto destinasse. Scilicet, vix radices egerat hæc prosapia Noribergæ, & statim ob gentilitatis splendorem, & egregia merita, Senatoriis cœpit adscribi, congestiq; in eam sunt certatim honores. Vicissim ex illa geniti, ut contra gratiam referrent, & in nova patria non indecoros cives se præstarent, indies magis magisq; bene de Republica mereri studuerunt, nihilq; tam præclarum, tam magnum atq; laudabile dici potest, cuius non hæc progenies insignia exempla suppeditet. Dedit ea (ut aliquorum tantum mentionem injiciam) SIGISMUNDVM & CHRISTOPHORVM, Sigismundi filios, fratrum par incomparabile ; quorum ille, vere talem, hoc est, *Virum Optimum*, se præsttit, qualem eum Philippus Melanchthon in Epistola quadam ad Joachimum Camerarium, quæ,

B 3

inter

inter cæteras, publice extat, prædicavit. Nam, de ejus animi moderatione & continentia, de vita integra & inculpata, de beneficentia erga pauperes, nihil tam magnifice dici potest, quin virtutes ejus id exsuperent. Atq; has, domi potissimum exercuit, etsi Maximiliano I. Cæsari, à consiliis quoq; fuerat. Frater vero *Christophorus*, militiam sectatus, principio ejusdem Maximiliani Imperatoris auspiciis, peregre, in Gallia, Belgio, & Italia strenue rem gesit. Ex his expeditionibus vero laudum adorem, & spolia opima domum cum retulisset, paulo post pedestrium atq; equestrium turmarum, quas Senatus Noribergensis occasione fœderis Svevici in Würtembergensem Ducatum miserat, Dux factus, fidem, fortitudinem, prudentiamq; suam Carolo V. Cæsari tantopere probavit, ut dignum eum judicaverit, quem ad celebria Augustana Comitia, quæ ævi superioris anno XXX. habita sunt, evocaret, atq; gravissimis de Imperio adhiberet deliberationibus. Ornabat hunc Virum præcipue inusitata animi magnitudo, qua nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam referebat; atq;, etsi recte facti, non ex populi scrinone mercedem, sed ex facto petere maluit, vulgo tamen de eo in proverbium abiit, & communi civium voce jactatum est, ipsum tam tenacem veri ac disciplinæ suæ esse, ut illius verbis turris queat superstrui. Atq; isti, quos memoravi, Fratres, magnum illud quondam in vicinia, Gratianæ Montis templum, cuius insigne in pulchritudinem ac stupendam fabricam, ex ruderibus & parietinis conjicimus ac miramur, suo ære, ausu, sumtibusq;, qui super privatam fortunam longissime excellunt, condiderunt.

derunt. Quod, ne cui dubium videatur, verba Caspari Bruschi ex Centur. I. Monasteriorum recognoscite: *Sigismundus, & Christophorus Fureri*, inquit, *suis sumtibus ac expensis, erogatis videlicet bis mille quingentis aureis, egregium ac longe pulcherrimum templum Montis Gratiae, ex imis fundamentis de novo construxerunt, ac quindecim arcuum ingeniosa testudine illustrarunt.*

Atq; hujus Christophori, corpore & animo, filius fuit M A V R I T I V S, qui præter alia prælia, illi etiam memorabili, quo auspiciis Philippi Hispaniarum Regis, adversus Gallos, apud S. Quintini oppidum pugnatum est feliciter, interfuit, &, si quis aliis, in victrixi exercitu dimicavit acerrime: quiq; postea in patriam redux, & in Senatorum numerum electus, arcem Haimendorf, familiæ decus & cognomentum, maximis auctibus exornavit. Item CHRISTOPHORVS alter, qui Vir consilio prudens, manu strenuus, &, qui roboris invicti, animiq; heroici, non in Belgio tantum, ubi diu militaverat, sed maxime cum ab Alberto Brandenburgico patria nostra cincta esset obsidione, egregia experimenta dedit, vel potius specimina. Iste genuit CHRISTOPHORVM, Germaniæ Vlyssen, qui per varios casus, & tot rerum pericula, oīnnem Italiam, Ægyptum, Palestinam, Hungariam, Poloniām, & Boheimiam terrestri itinere peragrat; maritimo, in plerasq; Archipelagi, &, quæ Asiæ Minoris adjacent, Insulas, appulit; de quibus peregrinationibus in vernacula & Latina linguis, editi Commentarii, tam doctorum, quam indoctorum inanibus passim promiscue tenuuntur,

runtur & summa leguntur voluntate. Idem Christophorus, una cum illustris nominis viro *Hieronymo Baumgartnero*, primum lapidem jecit, struendæ hujus Musarum Regiæ, quæ si non omnes, certe plerasq; ubicunq; gentium & terrarum iis dicatas, augusto opere multum antecellit, Deabusq; Studiorum præsidibus, non commodam tantum, sed & splendidam præbet habitationem, duraturam, ceu omniamur, cum rerum æternitate. Quamobrem, si nos in colendo FVRERIANO Nominis segnes reperiremur, ipsa saxa, tigna, & tegulæ, cum solo, quod preimus, nobis ingratæ mentis vitium & vecordiam innatam exprobrarent. Cœterum, quod *Christophorus Furerus*, cum *Hieronymo Baumgartnero*, inchoarat opus, ad culmen quasi perduxit filius cognominis CHRISTOPHORVS, Prætor deinde Reipubl. & Senator semisecularis optimè meritus: quando ad Divum Ferdinandum II. Imperatorem Legatus missus, privilegia Vniversitatis nostræ supplex petiit, & benigne impetravit; atq; sic formam postea ac decorem suum huic Academiæ, quem nunc ostentat, & quo se se offert, ipse in solenni actu ei induit.

Qua dere, nec pauca debent, nec multa nunc dici possunt. Verum, nec sequior sexus, in FVRERIANA Familia laude caruit, narrantq; monumenta vetera, BARBARAM, in Angelico - Vallensi Cœnobio, & WALBVRGIN, in Gratiæ Montis Asceterio, Virginum DEO dicatarum Antistites, probam utramq;, ac uti tunc tulit ratio, & consuetudo seculi, institutorum suæ sectæ, morumq; severitatis rigidas custodes.

custodes. Faveat inclutæ FVRERORVM gentis industriæ, imposterum quoq; æternum Numen, atq; ea illi Fata ordinet, ut adaucta subinde novis accessionibus, pari magnitudine ac felicitate perstet, seculisq; perennet, ad mundi usq; ultimum & decretoritum diem!

Verum ad nostrum GEORGIVM SIGISMVN-DVM tandem proprius accedendum est, cui ille, quem antea laudavi, quiq; multorum populorum mores & urbes vidit Christophorus, avus extitit. Quippe illius filium, JOH. SIGISMVNDVM, Reip. Noribergensis Senatorem, Præfectum rei militaris, & Circuli Franconici Consiliarium Bellicum ὁ μακαρίτης Patrem habuit, Matrem vero, singularis exempli, & morum emendatisimorum fœminam primariam, MARIAM MAGDALENAM, *Georgio Baumgartnero ab Holenstein*, Nobilissimo, Amplissimoq;, & Senatoriæ dignitatis Viro, genitam. Hujus lectissimæ Matronæ felici partu, in lucein editus est noster, in optima urbe, anno Seculi, in quo agimus, duodecimo, ante diem septimum iduum Octobris, ac mox sacrī mysteriis initatus, ex veteri ritu, Sponsorem in iis habuit Nobilissimum & Consultissimum Virum, *Jacobum Scheurelum*, JCtum ac alinæ Reipubl. Noribergensis Consiliarium. Erat in puerō vultus venustus, placidus, multo rubore, multo sanguine suffusus, oculos volvens intentos; ac mox exerebat se clara mens, & cœlestis animus, quem liberalis rerum creatrix, decoro ac succiplo corpori indiderat. Hanc vim insitam & in meliora omnia pronam indolem, ut promoverent pii parentes,

C

rentes,

rentes, & recti cultu pectus ejus roborarent, in matre præceptoribus variis, prout ætas ferebat, erudiendus traditus est, ut cum pietate, artium rudimenta addisceret. Magna autem circumspectione in his Magistris seligendis utebantur, extremamq; de mentia m judicabant, illud, proh dolor ! nimis familiare multorum vitium, quo liberorum capita iis non dubitant credere, quibus calceandos nemo committeret pedes. Ante cæteros autem, fidem, industriam, & sedulitatem suam hic probavit *Johannes Gravius*, Gymnasii Noribergensis quondam Rector, Vir accuratissime doctus, & cui, ceu non ita pridem, alias Discipulorum, & nostri ordinis grande decus dilaudavit, non tantum admiranda in in fingendis quorumvis Juvenum ingeniosis & moribus prudentia, sed etiam divinitus submissa laboribus indefessis felicitas aderant. Atq; hunc, defunctum quoq; noster FV R E R V S tota vita perseverantisime dilexit, & crebre in ore habuit : nam, eo duce, magnis passibus ad Bonam Mentein, & elegantiorein literaturam processerat, atq; in lingua utraq; in studio Religionis, in Historia Sacra & Profana, in Orationibus scribendis, in pangendis carminibus, in artium liberalium circulo, non pœnitendum operæ fecerat pretium. Neq; id adeo mirum : Quippe, si ista duo simul convenient, solers ingenium discentis, & peritia ac dexteritas Doctoris, & ille quidem proficere, hic prodesse, & possit, & summa contentione velit, tum propere omnia succedunt, longeq; ultra vulgarem gradum doctrina provehitur. Et vero, supersunt Poëmata, quæ FVRERVS

R E R V S adolescens meditatus est, sani coloris, concinna, nitida : Supersunt Orationes, in quibus nec inventionem, nec partium nexus, nec puram dictionem desideraveris. Supersunt ex Comicis, Tragicis, Epicis & Lyricis Poëtis, supersunt ex Historicis & aliis sinceræ Latinitatis Autoribus cum judicio excerpta Cellestanea, quæ non chartæ tantum, sed & memoriæ ita commisit, ut ætate proiectior quoq;, quoties occasio invitabat, integras pericopas promte recitaret. Erat enim ei memoria potens & exponta, rerum perceptarum custos fidelis & acer : erat ingenium acutum, erat iudicium grave & perspicax, per ea, quæ audiret legeretve, solerter penetrans. Cum igitur Parentum vota, commilitonum æmulos ausus, omnium bonorum exspectationem de se abunde vicisset, tanta περπαιδεία instructus, Anno à nato Servatore 1629. fausto pede contulit se in hanc Academiam, cupidum illum discendi animum una cum verecundia & temperantia veluti stipatores secum afferens. Neq; enim nisi illarum virtutum disciplinis subacta mens sit, præclarri aliquid, & quod in ea fideliter sedeat, addiscere licet ; nec unquam inedita doctrinæ templa, eniti, semipaganis istis conceditur, qui Academicam libertatem in petulantiam vertunt, horasq; male collocant in voluptates ac temulentiam. Musæ virgines sunt, itaq; circumspæcte, caste & sobrie tractandæ : qui secus faciunt, eas ipsas severissimas habent vindices. Ultra innatum in F V R E R O amore in cognitionis, & scientiæ, ingens quoq; currenti calcar addidit, cum Johanne Kobio, magni apud nos nominis tum

C 2

Philo-

Philosopho, & deinde JCto quoq; confuetudo, ac convictus  
societas, cuius favori cominisus fuerat & commendatus.  
Aut igitur, tum, aut nunquam alias apparuit, quid posset  
apertis permisa spatiis industria, & generosus discendi ardor.  
Etenim, in omne literarum ac artium genus, lœtissimo impe-  
tu immisisq; veluti habenis excurrebat, nullamq; momenti  
alicujus doctrinam à limine salutasse, aut veluti inter stre-  
pitus exaudisse erat contentus, sed ad intima rerum pene-  
tralia, propitia Minerva aspirabat. Illud interim sedulo da-  
bat operam, ut solidam masculamq; eruditionem indueret  
animo, quæ virum, quæ civem bonum instruat, & maximum  
sui fructum ex ipso rerum promittat usu, non jejunam &  
umbatilem, quæ difficiles nugas habet, & Scholæ magis  
prodest, quam vitæ aut Republicæ. Cum primis Clarissi-  
mum *Virdungum* lectatus, Historiæ se dabat, tum illi,  
quæ res præcipuarum gentium, à primo hujus universi ortu  
ad nostram usq; ætatem, generatim atq; universe enarrat:  
tum ei, quæ seorsim Judæorum, Romanorum, Græcorum &  
Germanorum Respublicas, clarorum item virorum dicta ac  
facta memorabilia complectitur. In his, non ad eventuum  
tantum varias vicissitudines, sed & ad causas ipsas, ad præ-  
textus, ad agendi modos, perspicacem animum attendebat.  
Insuper parabat sibi locorum per universum terrarum glo-  
bum, parabat temporum ab omni ævo scientiam. Adjun-  
gebat huic studio Philosophiam utramq;, non præter propter  
aut perfunctorie, sed serio, & bona fide. Nimirum, sic judi-  
cabat, esse Historiam non teste in tantum temporum, & lu-  
cem veritatis, sed & æque vitæ magistrum, ac medicina va-  
letudi-

letudinis ; neq; aliud doctrinæ genus majorem apud homines autoritatem conciliare, opinione inq; sapientiæ. Noverat porro, contemplatricis Philosophiæ opus unum esse, de divinis humanisq; verum invenire ; quid rectæ rationi conveniens aut absurdum sit, deprehendere, ac rerum natura- lium principia indagare & causas. Noverat, eam Philosophiæ partem, quam Moralem nuncupamus, humani generis rectricem esse, singulosq; sui munera ac officii admonere. Hanc emendare iracundiæ fluctibus concitatam, voluptatum blanditiis irretitam, fluctuantemq; passionum motibus voluntatem. Hanc explicare, quid inter patrem & liberos, quid inter virum & conjugem, inter fratres, cognatos, amicos, cives, ac inter omnes homines observari conveniat. Ut proinde non vane de Philosophia pronunciaverit Romanus Sapiens, nunquam recedere ab ea justitiam, pietatem, religionem, & omnem alium comitatum virtutum consertarum & inter se cohærentium ; atq; hanc docuisse, colere di- vina, humana diligere, & penes Deum imperium esse, & inter homines consortium. Mathematicis quoq; scientiis, doctore celeberrimo *Schvventero*, diligenter incubuit FVRERV<sup>S</sup> noster, tum illis, quæ de castrorum metationibus, propugnaculis, vallis, fossis, & instruenda acie agunt : tum & Geometriæ, ut tanto melius intelligeret ope- ra supremi Numinis : Hoc enim, ut Plato scientissime ait, *αἱ γεωμετρεῖ*, quatenus videlicet omnia suo ordine, nu- mero, mensura & pondere conficit. Astronomiæ etiam in- vigilabat, & aliis stertentibus, sidera, cognatosq; cœlos per- errabat, ac per planetarum orbes vagabatur, aut Helicem,

Cynosuram, Sirium, Oriona curiose spectabat, multum, ceterum acceperimus, delectatus C. Cæsaris exemplo, & illo Luciani de eo testimonio:

- - - - *Media inter prælia Cæsar  
Stellarum, cæliq; plagi, superisq; vacabat.*

Cumq; non his tantum rebus, sufficere capax FVRERI ingenium laudatus Schwenterus animadvertiset, autor ei amplius erat, ut raris, ideoq; pulcherrimis ausibus, illi linguae, quæ hominis, nondum conditoris imagine parentis, vox fuit, & quæ sola omnium linguarum, DEI genuinum opus ac donum est, (Hebraicam me signare quisq; accipit) se daret, sacraretq; os ac memoriam sanctissimis vocabulis. Gessit morem recta suadenti FVRERVS, & in Hebraicis quoq; eximios profectus fecit, ac omnino tales, quos nulla in eo ætas delevit, quiq; ipsum me sæpe ex admiratione rapuerunt in stuporem. Atq; hic jam excrescere & in imminensum diffundi posset oratio, si occasione, quæ non quæsita se mihi offert, de studii divini sermonis dignitate atq; utilitate disserendi, ac FVRERI nostri exemplum, verbis ornandi, vellem uti. Veruntamen parco sciens, ne meis affectibus parumper indulgere videar, & potius, postquam de Præceptoribus τ& μακαρίτ& dixi, familiarium Amicorum, cum quibus in eodem contubernio degebat, obiter injicienda mentio. Interest enim plurimum ad componendum animi habitum, & inuendain virtutis arcem, cum quibus vixeris. Sumuntur à conversantibus mores, & uti quædam vitia corporis, in contactos transiliunt; ita animus mala sua proximis

mis tradit. Qui apud unguentarios sedet, refert in vestibus odorem : qui cum claudio habitat, subclaudicare facile discit. Quod si vero in ulla re, in hac certe, magna felicitate F V R E R V S noster usus est, ii enim sodales ipsi obtigerunt, & unum cum illo conclave inhabitarunt, qui meliores ne votis quidem exquisitissimis fingi potuissent. Erant duo numero, & ambo in urbe nostra, ex illius perpetuo commodo adhuc florent, atq; utinam diutissime fani, salvi ac sospites ætatem agant, quam merentur. Horum unum, hic etiam præsentem nunc vereinur, florem Virorum, *Magnum Fetzerum*, Vniversitatis hujus Procancellarium bene merentissimum, quem cothurno eloquentiæ prudentis, & qua heri rursus aures nostras bibulas permulsit, Periclem, Aristodem justitia, Phocionem probitate, magnitudine animi atq; constantia Catonem nostri temporis, citra assentationem, quæ mea non est, vocare licet. Alter Theologorum Norbergensium iam primas, *Justus Jacobus Leibnizius*, Vir venerabilis, divinorum oraculorum summa in scientiam cum incomparabili morum sanctitate ita conjunxit, ut nemo ei anteferendus sit, pauci, ex omni memoria pares putentur. Inter hanc lectissimam trigam, arcta familiaritas, summaq; intercessit conjunctio, nec alia iis simultas, quam honesta illa & laudabilis, qua quisq; in labore improbo, in capiendo ingenii cultu, à socio superari sibi turpe ac contumeliosum judicabat. Neq; disfilarunt unquam deinde animi, qui sic coaluerant, certavitq; omni affectu cum veteribus Amicis hisce F V R E R V S, usq; ad extremum spiritum, ipsis non minus,

minus, quam sibi, honores gratulatus, qui cuiq; suo in ordine summi obtigerunt, & quos, quod iterum iteruinq; precamur, Deus iis diutissimè conservet, qui ejus indulgentia illos adhuc possident, idemq; approbet, quæ tantis Viris placuerint, beneq; evenire sinat. Hæserat per triennium quasi in hâc Academia F V R E R V S , & Deo pietatem, Magistris industriam, Commilitonibus humanitatem probaverat, deniq; nihil eorum prætermiserat, quæ ad ornandam studiosi personam, provinciamq; faciunt. Itaq; multa jam literarum politie, multa rerum intelligentia compos, indignatus quietis domesticæ otium, nec suos tantum cives, sed alios etiam nosse affectans, iter in exteris regiones suscipere instituit. Fastidiunt enim altæ & erectæ animæ, glebæ suæ esse adfixæ, & cœlum imitando, nulla re magis capiuntur, quam assiduo motu. Neimpe, per se dulce est, mutare terras, nec quisquam tam bardus ac blennus est, quem non titillet ac flectat amœna illa variaq; inspectio gentium, urbium, regionum. Tum vero res ipsas olim lectas aut auditas, altius infigit animo locorum consideratio: quippe cum & illam quæ arte traditur memoriam, ex positu atq; ordine locorum primum natam, Veteres tradiderint. Ad robustam autem, ut ita dicam, & masculam prudentiam comparandam, hoc est nobile præcæteris subsidium. Siquidem, instituta illa varia gentium, moresq; hominum, formæ civitatum, incredibile est, quam potenter judicium forment, si tamen non visa aut libata leviter, sed admisa, retenta, & collata inter se, examinis quadam lance. Vnde ille non Poëtarum solum eximius sed & Sapientum, Homerus, cautæ illi Vlysseæ prudentiæ, haud aliam

aliam rationem assignat, quam quod πολύτερον, quodq;, ut ipse ait:

Πόλις ἀνθρώπων ἴδον ἀσεα καὶ τόν εγνώ.

His de causis patriam deseruit FVERVS, ut felicius aliquando resalutaret, atq; primo Genevam profectus est, qua in urbe juris Civilis illud clarissimum lumen, *Jacobus Gothofredus*, Dionysii Filius, tum fulgebat. Hunc diligere & admirari statim cœpit οὐακαείτης, inq; ejus amicitiam se insinuando, perfecit, ut mutuo ab illo diligeretur, & per amplissima Jurisprudentiæ spatia, legumq; obscuritatem, via nec impedita, nec longinqua maximo deduceretur cum successu, id deniq; assecutus, ut omnium judicio, civilis prudentiæ peritisimus πολλῶν ἀντάξιος & ἀλλων & haberetur, & esset. Hoc doctrinæ suæ velut fastigium cum imposuisset, atq; sic satis præparatum pectus haberet, tum deinceps FVERVS anno vertente ulterius in Galliam processit, hocq; florentissimum regnum, quatenus inter mediterraneum mare, ipsumq; Oceanum, & montium Pyrenæorum ac Alpium juga se explicat, biennii spatio peragravit. Trajecit deinde in Angliam, atq;

*Cum penitus toto divisis orbe Britannis,*  
 aliquandiu egit familiariter. Inde Belgium petens, universam hanc regionem lustravit oculis, apud Batavos diutule etiam subsistens. Cæterum in omni hac peregrinatione, non vulgus adolescentum imitatus est, quorum tota videmus agmina in exterorum terras, tanquam in officinas licentiæ, luxus, deliciarum, temere procurrere. Qui nec voluptatis

D

nec

nec suintuum modum facientes, somno, vino, & epulis, ac scortis balneisq; se enervandos committunt; nec aliud mirari didicerunt, quam magnitudinem urbium, splendorem ædium, sublimitatem turrium, flexuosum fluminum cursum, & fructuum in sylvis, agris, pratis & hortis varietatem, ubertatem ac copiam. Quin, nec aliquanto his meliores sequuntur est, qui intra linguarum notitiam, morum elegantiam, rerum pulchrarum spectacula, decoram aulicarum exercitationum agilitatem, & similia, fructum peregrinationis ac propositum concludunt. Quamvis enim ista non penitus neglexit Noster, sed quædam ex iis, atq; nominatim Gallicam & Italicam linguas, multa excoluit assiduate; longe tamen præclariora erant, quæ ingenii ad regendum nati curas, potissimum occupant. Requirebat à Theologis disciplinam Ecclesiæ, & mores sui gregis; cum heterodoxis, sæpe ad disputationem descendens, & aculeos in eorum animis relinquens pungentissimos. Conveniebat Viros doctos, ab iisq; in rebus dubiis, opem, auxilium & consilium expetebat. Inspiciebat eorum libros, perquirebat imagines. Quicquid in operibus Artificum, invento, usu, ingenio autorum singulare extabat, scrutabatur. Quæ ad Senatum & Curiæ judicia, ad formam regiminis & munia, ad leges & jura civium, ad mores civitatis, ad sociorum foedera, amicorum usum, Principum pacta, vicinorum molitiones, exterorum proposita pertinebant, inquirebat. Quid opis, aut subsidii, aut spei, in viris, vectigalibus, armis, vel ad Reipubl. facultatem extaret, vel ad ultimos casus lateret; quod in periculis remedium, aut domi repertum, aut foris subnatum, aut fatorum indu-

industria provisum esset; quæ copiæ quibus temporibus sufficerent, aut servarentur, quid & unde importari posset utiliter, quid exportari, hæc, & talia, intime explorabat. Solcite quoq; animum advertebat nexibus, vinculis, rotis, quibus ingens iste fati Europæi orbis volvitur. Rinabatur, quæ in Germaniam nostram, & res Germanicas, tum turbatisfimas, voluntates, studia, consilia, versentur in animis hominum, in aulis Principum, in ore nationum: quibusq; opibus pax amissa revocari, quo medio in posteros transmitti posset, à rerum & malorum nostrorum non ignaris percontabatur. Fortassis laboraret sermonis mei fides, nisi extarent de istis rebus libelli opistographi, in quos ὁ μακαρίτης cuiusq; diei acta, audita, & visa, diligenter notavit, & ex quibus otii quoq; ejus, secundum Catonem, ratio constat. Magna enim erat ei parsimonia temporis, & omne illud periisse judicabat, quod nulli laudabili negotio impenditur. Sic itaq; summa animi contentionе enixissime id operam dabat FVERVS, ut sese in perfectum, numerisq; omnibus absolutum Politicum transformaret; sed probum, sed Christianum, & nec parcum Numinis cultorem, nec infrequentem; neq; alia probabat consilia, quam quæ salva fide, & integra dignitate concipiuntur. Namq; illud pseudopoliticorum genus, cui præter quæstum, ipsi Rationem status vocant, nihil dulce est, eidemq; jura, honestatem, pietatem, fidei postponit, & Deum (horresco referens) minus veretur, quam catenarium canem, cane pejus & angue oderat. Sciebat Vir sanctus & sapiens, castigari humana consilia, quæ se cœlestibus præferunt; & deliberationem, cui non illud,

ἐδὲν ὁ Κύει Θελήση, tanquam fundamentum substernitur, argutam quidem & callidam dici posse, vere autem prudentem & solerterem non item. Quamobrem Nostro Politico prima cura fuit, DEVM Optimum Maximum, qui, quæ nos gerimus, auditq; & videt, qui animis interest, ac cogitationibus intervenit, semper & ubiq; suspicere, huic pietatem suam probare, & ad eum omnes referre actiones. Hujus rei, unum elegans exemplum, quod succurrit, AVDITORES, accipite. Expetiverat FV RERVS Noster, à longo tempore desideriis ardentissimis, quem animo satis figurare nequibat, coram oculis tueri, immensum ac interminatum Oceanum. Ejus voti tandem apud Galliæ Gesforiacum damnatus, applicat se crepidini littoris, & primum attonito similis stupet illas fluctuum nunc in sublime ætheris evectarum, nunc ima abyssi quasi potentium, prægrandes moles, & præruptos aquæ montes; illam vastitatem, oculis terram nequicquam requirens. Stupet lucentes lapillos, conchas, ulvam, pisces, vermes natrices, araneos, & alia, quæ in siccis arenis jacebant. Stupet navigia, quæ ibi velificabant, ex quibus,

*Hæc, summo in fluctu pendent his, unda dehiscens  
Terram inter fluctus aperit.*

Mox, ad se quasi rediens, utraq; manu haustum liquorem avide laebit, & tum in genua procumbens, versis ad cœlum cum vultu palinis, DEO tam stupendi operis creatori gratias agens, in hæc Davidis, cuius plerosq; hymnos tenebat memoriter, sacra verba entheus erumpit: *Qui descendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis,*

*multis , Ipsi viderunt opera Domini , & mirabilia ejus in profundo. Dixit & stetit Spiritus procellæ : & exaltati sunt fluctus ejus. Ascendunt usq; ad cœlos , & descendunt usq; ad abyssos : anima eorum in malis tabescet. Turbati sunt , & moti sunt sicut ebrius : & omnis sapientia eorum devorata est. Et clamaverunt ad Dominum , cum tribularentur , & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam ejus in auram ; & siluerunt fluctus ejus. Et lætati sunt , quia siluerunt : & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino misericordia ejus , & mirabilia ejus filiis hominum. Et exalent eum in Ecclesia plebis : & in cathedra seniorum laudent eum. O infucatam pietatem ! & sublimem prudentialm ! & , ô scitum viatorem , ac disciplinæ melioris exemplar !*

Possem plurima ejus generis recensendo commemora-re , sed temporis brevitate circumscripto mihi , in patriam postliminio deducendus est FVRERVS , post diuturnam quinquennii peregrinationem ; quæ tamen eum minime in exteri ritus imitationem deflexerat , aut distorserat in vanitatis amore. Fulgebat enim in reduce sincera ac incorrupta gravitas , nec impar gravitati humanitas comitasq;. Cæteruin contentus sua fortuna , non affectabat culmen altius , omni vacuis ambitione. Idcirco multum intra lares D ; se se

fesc continens, vagabattur per chartas amoenissimosq; libellos, & quicquid præstantissimorum ingenia hominum, ad nominis æternitatem, & salutem mortalium superesse voluerunt, gnaviter evolvebat ; ad Chymiam etiam procedens. Sed, in hac, paucis philosophandum esse, consultissimum iudicabat ; nam, omnino, & ad lapidis abditissimi scrutinationem usq;, eorum ajebat proprium videri, quibus ingenio, otio, & numis suis abuti decretum. Nostro, corpora inquinata depurare, impedita liberare, immatura perficere, volatica figere, ima sublimare, & crassa in tenuissimos spiritus redigere, sufficiebat, & merito sufficere debuit. Eruperat autem interea temporis, virtutum ejus jubar, & sicuti ignis celari se ægre patitur, sic inclauerant excellentes illæ, quibus prædictus, dotes, & plenis velis in fainam ac laudem fuerant invectæ. Judicii gravitas, consilii copia, æqui rectiq; scientia pariter, ac amor ingens, mansuetudo morum & facilitas, omnium ferebantur ore, omnium amorem, benevolentiam, ac studia FVRE RO conciliaverant. Hæ virtutes, ne ulterius quasi neglectæ jacerent, anno seculi quarto & quadragesimo, publicis usibus vindicari cœperunt, atq; **Georgii** dies, quem Noster nominalem habuit, ei honorum & omen & principium fuit, quippe hoc, Scabinus secretoris Senatus adscitus est. Maluisset quidem porro FVRE RVS, sibi suisq; Muis vivere ; at, cum intueretur Patriam, & quid ei deberet, pensaret animo ; adhæc & Prudentum præcepta recordaretur, quæ, neq; rapiendam Rempubl. neq; fugiendam imperant, tandem deniq;, etsi timide & cunctanter, ceu modestissimi quiq; solent, eas admisit partes, quas  
nec

nec humiliiter exorasset per ambitum, & nunc delatas, recusare, morositatem existimabat & supercilium. Sic itaq; semel regimini admotus, postea per intercapedines , ex instituto patrio , & disciplina nostri status ad ampliores Consulatus utriusq;, ad Curæ rerum provincialium , ad Appellationum Judicij & Scholarchatus dignitates ascendit, cum proximus quisq; honor ei instrumentum esset futuri. In his vero Officiis ita se gescit , ut potestate , quam natus erat, non ad inanem splendorem & fastum converteret, sed, eo potius intenderet nervos , quo , quem debebat Senatorem magnum dare, eum exereret , atq; præstaret ; ac meminisset , ideo se Consulem esse , & dici, ut civibus suis consulueret. Itaq; assidue frequentabat Curiam ; nunquam aberat deliberationibus ; sobrium, consideratum, intentum animum afferebat : meditabatur cuin cura , quæ loqueretur : censentes alios sedulo & patienter auscultabat : si quod enatum esset dubium , humaniter disquirebat ; non disputabat per rixam ; non indulgebat præjudiciis : quæ vera opinabatur , citra acerbitem , constanter tamen , indicabat : si quæ meliora ab aliis proferrentur, æquo animo suffragabatur , & laudabat ; deniq; in jure dicundo sic versabatur , ut justitiam coleret, odium & amorem procul haberet, non moveretur metu, non flechteretur gratia, non corrumperetur largitione ; ut severitatem lenitatis prudenti temperamento moderaretur , & sapientissimum Taciti sacerum imitando, parvis peccatis veniam , magnis severitatem commodaret, nec poena semper, sed saepe pœnitentia esset contentus.

Interfuit quoq; nomine **Senatus**, publicis functionibus  
quam

quam plurimis, tractatione & laboribus gravibus, aliquando solus, interdum cum Magistratibus Collegis, semper autem cum autoritate & successu; non enim opus habebat, ut se extra quæreret, sed præsto & ad manus ei aderant sua virtus, & multa dexteritas. Hanc fabulam cum per annos complures, pulchre, præclareq; egisset Roscius noster, Anno 1666. commissa ei summa Sacrorum & Scholarum inspectio & procuratio, Viduarumq; & pupillorum tutela : atq; paucis diebus interjectis, venerandum istud arduorum Consiliorum penetrale, quod augusto Septemviralis Collegii nomine colimus, & quod omnem Reip. statum dispensat atq; ordinat, ac instar animæ per artus omnes infusæ, totius corporis agitat molem, ingredi cœpit. Atq; hic melius & altius laborum suorum initium advenisse ratus FVRE R VS, cum novo honore, novos quasi spiritus suusit, movitq; lacertos, quasi reddita juventute revirescens. Hoc nimirum illud stadium est, in quo illustria ejus merita, per duodecim prope annos magnis accessionibus cumulata, perpetuis successibus promota, in oculis omnium civium, inter bonorum applausus & gratulationes, inter prudentum admirationem decurrerunt. Quarum rerum magnitudinem, et si parvæ hujus & miscellaneæ Orationis iniqua spatia haud capiunt, paucis tamen verbis dicendum est, quanta fide, sanctissima Patriæ pignora, Religionem & Literas custodiverit. Principio, illud omni vigilantia & intentissima cura cavebat, ne qua purissimam fidem nostram contaminaret labes, &, ne quid veritatem sensus de Deo, ejusq; cultu corruimperet, aut à regula sacra rum literarum abiret ; sed, ut in templis & pulpitis sincere trade-

traderentur divina dogmata, citra affrictum novarum, & in humano ingenio natarum opinionum ; citra veri falsiq; fœdām commixtionein, quam vulgo syncretisūnum appellant. Vnde prohibebat quoq; omnes periculofas de rebus sacris disceptationes, &, quæ plus offendiculi quam utilitatis in fidelium cœtibus pariunt, ac pias mentes exulcerant, Adversariis nostris nos deridendos præbent. Proxima ei de Rītibus solicitude, ut quævis εὐγνημόνως καινατὰ τάξιν age-rentur, omnisq; à locis Deo dicatis abesset cæremoniarum profanitas aut indecentia. Tum id insuper providebat, ne mali mores, tanquam herba irrigua succrescerent, ac corrum-pere & corrumpi feculuim vocaretur ; aberrantes blande re-vocans, contumaces severe coërcens, probos & modestos laudibus in officio retinens, & imprimis exemplo. Nam, quod ad illum attinet, toto animi iimpetu is ferebatur in pie-tatem, ipsiusq; præcipuum studium fuit, caste & sancte cole-re Deum, puras ac innocentes ei allegare preces, versare oraculorum cœlestium codicem, & meditari legem divinam. In his auspicabatur diem & finiebat : ista non vacui tempo-ris habebat solatia, & quasdam veluti remissiones, sed ve-rissimi operis descriptas partes, quibus nisi serio daret ani-mum, diem se perdidisse arbitrabatur. Jam, quis queat satis dilaudare illam devotionem, qua templa adibat, & publicis sacris intererat ? illam attentionem, quam afferebat ad au-diendos sermones, qui habebantur ibi de suggestiū? illum fer-vorein, quo precabatur, & privatis querelis publicas permi-scebat ? Nota hæc sunt omni populo, & apud posteros pieta-tem FVRE RI perenni voce loquetur spissus liber, in quem

E

quic-

quicquid in divinis scripturis, antiquis Patribus, aliisq; pii  
 Doctoribus περὶ διδασκαλίᾳ, περὶ ἐλεγχον, περὶ ἐπανόρ-  
 θωσιν, περὶ παιδείᾳ τὴν ἐν δικαιοσύνῃ observaverat, aut ipse  
 fuerat meditatus, sua manu transcripsit, breve & elegans  
 velut florum corpusculum, & pancarpineum fertum faciens,  
 dignum omnino, cuius fragrantissimus odor, sese publice  
 diffundat. Scholas quod concernit, de iis, id quod res est,  
 semper FVRERO visum fuit, esse has Seminarium Rei-  
 publicæ & Bonæ Mentis officinas. Itaq; ut cathedræ Magi-  
 stris, subsellia discipulis, leges disciplina florerent, efficaci  
 solertia operam dedit, provocavitq; ingenia hominum & di-  
 ligentiam. Ille, ne honor Sapientiæ, præmia industriæ, un-  
 quam deessent, favore prolixo, & animosa benignitate pro-  
 spexit. Ille nudatos & evolutos fortunis frigi adolescentes,  
 foyit, solatusq; benigne est, inopiæ ipsorum intercedens, &  
 novam ac meliorem iis circumdans fortein. De hac vero  
 Academia sic sensit, ejus custodiæ publicis fatis longe  
 proprius innexam esse, quam Palladii imaguncula, aut vi-  
 gil perpetuo ignis, aut lapsa cœlo Ancilia, Romanum sta-  
 tum credebantur sustentare. Vestrām fidem, Patres & Col-  
 legæ appello, ad vos testes provoco! Potestis enim me longe  
 disertius & prolixius celebrare, qua benignitate nostras ad-  
 miserit preces, qua benevolentia nostra desideria prosecutus  
 fit, qua æquitate & moderatione querelis satisfecerit, quos  
 sustinuerit labores dies noctesq;, non raro certamina etiam,  
 ne quid Respublica nostra literaria detrimenti caperet, ut sal-  
 va ac integra ejus jura, ut privilegia docentium sarta te-  
 Itaq;

Etq; manerent, fierentq; indies auctiora. Quam ille semper de nobis anxius fuit ; quam diligenter vetuit , ne decederet aliquid aut studiorum existimationi , aut dignitati profitentium ; quam in perpetuo cogitavit , egit , contendit , ut in pace florentes , in bello tibi agereinus , & ne effera Martis rabies stipienda nostra violenter raperet , illisq; addiceret , qui sub suis signis militant & castra sequuntur.

Atq; haec tenus , eorum retuli partem , quæ publice præsttit FVRERV<sup>S</sup> : urgent vero , locumq; residuum postulant , privati mores. Interest enim ad exemplum , ut , qua licet , totus cognoscatur , nec temere foris & publice utilis , fuerit , quem cum domi mala mens , malusq; animus habitant. Ac de Pietate quidem , quia iam modo , & aliquid ante quoq; jam dictum est , nihil hic repeto : ex iis tamen , quæ præmisimus , cuiq; intelligere datur , fuisse apud FVRERV<sup>M</sup> nostrum , illum consensum , concentumq; , illam , quæ Græce felicius vocatur , harmoniam virtutum . Nam quemadmodum , si pietas absit , aut nullæ omnino virtutes adsunt , aut earum tantum simulacra quædam atq; imagines , in somniorum morem inani specie illidunt : Pari contra ratione , Pietas sola esse nequit , sed virtutum splendidissimo comitatu stipata incedit , non secus ac lunam , formosum os , nocte suda & serena exerentem , innumerabilia sidera prosequuntur. Fuit igitur in Nostro animi moderatio & continentia , fuit vita honesta , conscientia pura , & confirmata in bonos voluntas. Nemo unquam in dictis ejus ac factis , tum gestu & moribus , affectatum quiddam , & fictum arte , aut temporis

causa vafre assumtuim, notavit & deprehendit. Intemerata omnia & simplicia, ad instituta Majorum, & innocentiam, sine fuco & dolo, composita erant, ut prorsus seculo suo major, prisci candoris & integritatis spectaculum renovaret. Accedebat huc singularis ejus comitas & humanitas ; quas ita in omnes expromit, ut nemo unus, cujuscunq; fortunæ esset, queri posset, aut se non admisum benevole, aut tristem ab eo diuinissum. Quoties enim supplicum turba obsidebatur ædium liumen, solicitabantur fores, implebantur atria, prandendi etiam & quiescendi tempora differens, patere omnibus ad se aditum voluit, singulis colloquendi facultatem dedit, idq; sine fastu, sine amaritudine, sine supercilio, ita ut parem cuin pari loqui crederes, etiam cum humilio loqueretur. Scilicet, sicuti corporum cœlestium vis, non tantum magnis mundi partibus sese infundit, sed in abditissimos quoq; recessus efficacia sua pervadit : Sic ille, ut benignum aliquod terris sidus, non tantum magnos erigere & allevare, veruin minimis quoq; præsidium & solatium esse voluit. Proinde tanquam Patronus quidam, aut potius parentis, tot exilibus, tot mendicis, qui quotidie in urbem Norbergensem tanquam asylum, aut portum salutis se infundunt, nunquam non porrigebat manuim, eorumq; calamitates, quas perferebant, demens, explebat homines beneficiis. Neq; ab hac beneficentia eum dimovit, quod quædam benefacta sæpe male collocata & in irritum data fuere, circumlata à beneficiorum fraudatoribus in contemtum virtutis. Noster enim, quicquid dabat, libenter dabat, ac promte ; non superbe ac gemens, & ut objiceret, aut imputaret :

cum

cum nihil aliud, quam bonitatem animi honestiq; amorem sequeretur, & in recte facti, officiisq; expleti conscientia acquiesceret ; illum imitari studens, qui non minus improborum quam bonorum arva , frugifero imbre humectat, & omnia omnibus promiscue largitur. Ea propter, nisi heroicam hanc liberalitatem à Majoribus accepisset F V R E R V S, erat, à quo posteritas exemplum caperet, quod esset miratura. Quippe, qui non contentus, eam tota vita insigniter exercuisse supremis quoq; tabulis, florenos quingentos inter pauperes distribuere jussit. Xenodochio publico totidem legavit, magna plane, & vel in Principe aut Rege laudanda munificentia, in primis in hac æris inopia, & communio omnium egestate. Capiimus autem ex tuin effusa largitate conjecturam, quantum vivus erogaverit F V R E R V S, quia de his silent expensarum tabulæ, & nec sinistra conscientia erat bonorum, quæ dextra copiose distribuebat. Neq; profecto vel illius immensi legati notitia ad me pervenisset, nisi negotiorum causa ante hebdomadas aliquot urbem petens, ipsi rei forte fortuna intervenisse. Cum enim passim per plateas in catervas egenorum hominum incurrerem, quorum aliqui sed pauciores, ob acceptam insignem stipem lætabantur, alii contra plorabant, gemebantq;, & priores reprehendentes, libenter se hoc congiario carituros testabantur, modo superstes esset is, à cuius dispositione provenerat. Ibi, ad unum eorum conversus , & quid ageretur sciscitans, didici oīnneim causam, ita tamen, ut mei quoq; oculi jam lacrymas cohíbere non possent. Quare latebras quærens, dolori me dābam, quem tanto aciorem experiebar, quanto magis ex impro-

viso me fuerat adortus. Absq; hoc casu fuisset, prorsus ab-  
esset laudis istud præclarum argumentum, à mea oratione;  
nec enim vel verbulo quide[m] certiore[m] me de eo reddide-  
runt, Amplissimi Senatores, τὰ μακαρίτατα Necessarii, qui-  
bus ea res, & executio ultimæ testationis in manu erat, &  
à quibus subsidia quædam, formando parentalí huic enco-  
mio, & reverenter expetieram. Adeo proprium est uni-  
versæ FVRERIANÆ Gentis virtuti, non in theatrum  
abire, non populum advocare, non fœneratores agere; sed  
contemto fainæ præmio, intra se manet, ac sibi sufficit.  
Verum ut reliq[ua]s porro FVRERI virtutes leviter per-  
stringam ac delibem, Delatores quoq; lingulacas, qui optimū  
queinq; in occulto criminari solent, & ex ruinis alien-  
næ existimationis sibi gradū ad gloriam struunt, quo-  
rumq; si maxime Remmia lex adhuc vigeret, exanguem &  
ferream frontem, nullæ notæ & puncta convuln[er]are pos-  
sent, gravissime detestabatur, nec aures iis unquam præ-  
buit: non pronus suspicionibus, aut credulus temere, neq;  
conde[n]nans quenquam, nisi auditum & jam convictum.  
Amplius, nihil præcipitanter aut inconsulte egit, in quoq; ne-  
gotio antecedentes & cohærentes causas considerans, &  
quem habere queat exitum, accurate perpendens. Vnde  
nec facile de ulla re respondebat, nisi se prius paulisper in-  
tra silentium tenuisset, quæ cunctatio, non tarditatis atq;  
socordiæ, sed sapientiæ signum fuit, & illi plurimum adde-  
bat autoritatis. Ipsos quoq; sermones, tam accinctæ atten-  
tionis judicio dispensabat, ut ambiguū relinqueret auscul-  
tatoribus, plusne ingenii, an bonitatis haberet, quod audi-  
verant.

verant. Atq; hac sua præmeditatione effecit , ne illi facile exciderit vox aliena prudentiæ, & quam turpis semper, tam calamitosa persæpe : *Non putaram*. Quoties publicæ curæ inducias concedebant, suburbana prædia (quæ multa & magna ei erant, in primis postquam Anno 1671. Familiæ caput factus , ejus sidei commissaria bona administrare cœpit ) invisebat. Ex his , illud maxime amabat , quod in vicinia *Horti Cœlestis* nomen habet , plusculos ibi aliquando degens dies : tum delectatus appellationis dulcedine , futuræq; beatæ mansionis omen inde captans , tum loci ipsius summa amœnitate. Est enim isthic regionis scena pulcherrima , & varia hinc atq; inde facies , quæ modo occurrentibus sylvis vi coarctatur , modo latissimis agris pratisq; diffunditur ac patescit. Sylvæ prope in immensum spatum diffusæ , procerarum & eximiæ altitudinis umbrosarum arborum plenæ sunt , quarum rami majorem quam pro flatu sonum reddunt , qua tiente vento. Divites agri frumento conseruntur , nec unquam colonorum spem fraudant. Prata vero florida & geminea , trifolium aliasq; herbas teneras semper & molles , & quasi novas alunt , riganturq; perennibus rivis , qui in multas piscinas , piscibus abundantissimas , sese exonerant. Inter hæc Palatium magno cultu instruatum , cœnaculum habet per pulchrum , quod patentibus fenestris favonios accipit transmittitq; , nec unquam aëre pigro & manente ingravescit. Itaq; non terras hic , sed formam aliquam , ad eximiam elegantiam pietam quis videtur

videtur cernere , tanta specie oculi , quocunq; se contulerint , reficiuntur . Hunc incolere secessum , atq; etiam ingravescens ætatis nidulum vocare solebat F V R E R V S Noster , hoc otii velut condimento , illos perpetuos labores , sibi faciebat minus molestos . Evocabat autem plerumq; ad se , aliquem ex nostro ordine , & jucundissimis , utilissimisq; sermonibus , diem ac interdum partem quoq; , noctis , familiariter nobiscum ducebat . Ex illo enim multiplici sapientia , & rerum omni ævo gestarum exquisita cognitione imbuto pectore , humanæ & divinæ doctrinæ dogmata , velut ex beato fonte , pleno torrente exundabant , & jam lepidam historiam , alias præceptum formandis moribus utile , regendæ Reipubl. proficuum , saepe verissimam futurorum eventuum divinationem (uti solent magnorum Virorum cœlestes Genii , olim ingruitura præsentiscere ) audire licebat . Solus cum ageret , sub auroram & in occasum inclinante sole , prodeambulabat , præter nemoris , & camporum delicias , aquæ insuper susurris & lusciniarum cantu , animum demulcens . Reliquo tempore , librum legebat , anagnosten audiebat , aut peragebat officia villicationis .

Vtebatur quoq; F V R E R V S his suis tempe , vel maxime , ad leniendum moerorem , quem ex rebus adversis conceperat . Multa enim minus prospere ipsi successere , & saepe cum in portu se navigare crederet , rerum ejus placidissimum cursum , subita quasi tempestas quædam , & improvitus turbo , perculit atq; dissipavit . Præ reliquis autem calamitatibus , valde eum affecerunt mortes Conjugum , & octo liberorum orbitates , quas tamen cæterasq; omnes afflicto-

flictiones, ὡς ἀγαθὸς ἀληθῶς καὶ τετεγμένος, excepit,  
sustinuit, superavit,

*Duris ut Ilex tonsa bipennibus  
Per damna per cedes ab ipso  
Dicit opes animumq; ferro.*

Nimirum non exigebat cum Creatore suo, non accipiebat  
& musitabat ærumnas, sed stabat obverso in fortunam vul-  
tu, & supernæ providentiae se permittens, dignum illi sua  
virtute præbebat spectaculum. Quid inquietat, reluetes di-  
vino ordini? venit ex alto, quicquid patimur mortale ge-  
nus: quid jaetem jugum, quod patienter ferendo levius fa-  
ciam? magis vincam fata tolerando, quæ mevolentem du-  
cent, nolentem trahent. Qui nunc iratus aversusq; videtur  
DEVS, inox placidus & placatus aderit. Qui castigavit,  
blandietur rursus, in utroq; patrem se ostendens. Neq; aliis  
in morbis ei habitus, quos ætate proiectior, crebros & diu-  
turnos perpessus est, uti solent arduæ ac diversissimæ curæ,  
dum animum assidue versant ac distrahunt, ipsum corpus  
pariter affligere viresq; depopulari, quoad plane fatiscit &  
cadit. Recolligebat tamen semper sese FVRERVS à va-  
letudine, ut poterat, quoad postremo vitæ tempore sanita-  
tem imbecillissimam expertus, ad ultimum, integro ante  
obitum sesquiennio, pedibus, ob tumores, male uti, ac mo-  
lestas sentire obstructiones cœpit. Qui morbus, cum diu  
Medicorum peritiam ac industriam frustra fatigasset, tan-  
dem augescabant magis magisq; dolores, nec minus subin-  
de novi, tanquam internunci & caduceatores mortis acce-  
F debant.

debant. Venerat ὁ μακαρίτης quanquam debilis & viribus fractus, adhuc tamen semper in Curiam, sed ægoribus confertim incumbentibus, cesit, per sex continuos menses lecto affixus. Cum autem vigere animus adhuc, & sufficere muneri videretur, non deponebat partes, atq; vel domi & in grabato jacens, officium sustinebat, admittens omnes, audiens omnes, & edens responsa. Non reticere debeo, me quoq; illum in hoc statu decumbentem, hanc diu, ante suprema fata, convenisse. Proculs fuerat iussu Serenissimi Celfissimiq; Principis ADOLPHI JOHANNIS, Comitis Palatini Rheni, nūnus argenteus ingens, sive uti nunc barbare vocant Metallio, blandos vultus Filiorum Principum referens, quo Patres Nutrios hujus Academiæ, ejusdeinq; Professores, velut vaforis & propensæ voluntatis arrhabone donare constituit, ut illi vicissim dulcissimos liberos, Academiæ honorarios cives factos, tuerentur, ac bona hæc sua, omni solicitudine sancte custodirent. Quamobrem & illum, qui FVRERO debebatur, ego perferens, atq; ea, quæ à Principe in mandatis habebam, exponens, tum is levato in cubitum corpore, cum numum probe contemplatus esset, quassa voce, quæ mea, ô Bone, inquit, conditio sit, vides. Sextus mensis agitur, ex quo cum valetudine, ne dicam cū in morte colluctor, Medicoruinq; præstantissimi, post consumpta in vanum artis suæ experimenta, suspensi hærent, nec obscuris signis produnt, de mea salute aëtum videri concludatumq;. Me tamen in vitæ præcipiti & lubrico stantem, sensu & voluptate incredibili afficit, ea invidenda felicitas, quæ carissimæ mihi semper Academiæ Altdorfinæ obtigit, duin æterna Palatina domo,  
cui

cui proxima cœlestibus origo , atavisq; Sveonum Regibus editos Principes habet , tenet ac sinu suo complectitur. Jam nascitur FVRERVS vester, qui a sic moritur, ac Academiam tam fortunatam post se relinquit. De me quidem , quia iam transactum est, nihil ausim amplius polliceri , quippe sensim vanescentes animi corporisq; vires, de colligendis sarcinis, & abitu ex hoc mundo parando, ægrum me adinonen. Sitamen partem aliquam gratitudinis absolvunt sanctiora vota mea, ac complectuntur, iisq; etiam humanæ salutis fatorumq; ministra pubes juvatur, supremum Numen convenio, ut tanti Principes, vita longa, valetudine firma, virtute solida, forte propitia, annos suos proferant, & ut eorum auspiciis, spiritum, sanguinem, patriam recipiant studia, quæ temporum immanitas in exilium pellere nititur. Vos autem Professores, & te imprimis , cui tutela Principum credita est , serio moneo ac hortor , intelligatis bona vestra & dignos vos præstate illorum usibus. Quamobrem , si modo à proposito non nihil digredi, & Vos, chara Deum soboles , Ledæum par , PRINCIPES SERENISSIMI , quamvis nunc absentes, alioqui paulisper fas est , omnia Vobis de nostra erga vos fide, obsequio, aut potius pietate , (quamvis & illud sanctissimum pietatis nomen levius videtur exprimendis affectibus) pollicemini, tanta contentione, nobis , à moriente mox Ephoro, inter supremas voces , quas somniculose exequi , atrocissimum nefas esset, commendati. Quanquam absq; hoc imperio fuisset , non tamen nos minus functuri erimus officio, & minus adnisi , quo solida felicitate , quam vestra præsentia huic Academiæ parit, non indigni videainur. Vos, pro bonis

F 2

Geniis

Geniis colimus, vestri ingenui vultus candorem, nativa pura suffusam, vestri oris ac corporis dignitatem, vestram auream cæsariem lactea cervice genisq; fusam, Vestrorum micantium luminum fulgorem, & cætera, quæ vestram speciem omnibus simulacris emendatiorem reddunt, assidue gerimus in oculis. In vobis supernæ cujusdam gratiæ lineas & virtutum singularum imagines, expressioribus indiciis resplentes, animo suspicimus. Vere in vobis summus Principalis Genii architectus in unam consummati exempli formam, Regiæ Svecicæ, & Palatinæ familiæ decora, congregavit, adinovitq; cœli commercio & terrarum venerationi. Proinde, uti nunc, quoties in publicum proditis, tanquam ad spectaculum, quod nemo mortalium apud nos unquam vidit, nec posteri visuri sunt, fit confluxus, & quacunq; inceditis, flagrantissima populi studia Vos excipiunt, Vosq; magnarum nationum, populorum, regnorum, arbitros, solspitatores, vindices, vaticinis vocibus salutant: Sic meas, meas vero? imo publicas, quas precario inhabito ædes, in quibus degitis, eas iam effecistis,

- - - *Quas cuncta revisant  
Secula, quas veniens hospes Romanus adoret.*

Olin apud nos nascituri, semper minoribus de Museis Vestris prædicabunt, Evandi Regis, parvo sub Lare Æneam excepturi, vocibus:

- - - *Hæc limina viator  
Alcides subiit, hæc illum Regia cepit.*

Tu modo, propago divina, agito generosam indolem. Excitant

citent vos incomparabilis Parentis trophæa, quæ in diversissimis mundi partibus superfunt, & cuius facta, quæ fraternalis CAROLI GVSTAVI, Optimi Maximi Regis, & fulminis illius belli, quod brevi momento orbe in concus sit, perterrituit, obstantia perfregit, auspiciis gesserat, hujus expeditionibus ita immixta sunt, ut à se invicem separari non possint, iisdeinque eadem in fastis consecratio, una ara, idem facellum debeatur. Excitet Vos, Avunculi magni, GVSTAVI ADOLPHI Regis nomen, quo nullum unquam clarius in hoc universo fuit, & quod omnium gentium ingenia atque linguas fatigat. Continuate mihi euin fervorem, quo toto pectore in studia exarsistis; eam diligentiam, quam in opere literario etiam privatos, quibus haec sola cura est, procul post vos relinquitis. Ita vos Deus servet, ac cum diu fessis hujus orbis rebus subvenistis, nec alterna morte sideribus reddat, sed longum terris commodatos, in cœlum seruos restituat, utrumque immortalem, utrumque beneficium ac salutarem. Interea loci sic existimetis, propitii aut irati Numinis haud aliud certius signum nos habituros, quam prout Vos, tales tantosque Principes, tarde celeriterve huic Academiae adimet.

Atenim, à cogitatione pulchra jucundaque abducendus est animus, & nunc funus, luctus, ac tristities indicenda, tuque;

*Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem,*  
etsi difficilem, gravem ac molestum. Nimirum, post illud tempus, quo FVERVM malis ejus multum ingeniens, postremum videram, indies magis invalescere morbus

cœpit, & sœviter grassari. Itaq; ὁ μακαρίτης humanis rebus suam conditionem habere jussis, tota mente capiebat cœlum, & præcipiebat illas voluptatēs, quarum ut potiretur, tristia omnia atq; acerba, haçtenus quæ incidunt, æquisfimo animo pertulerat. Hinc in Christum Servatorem, toto animi ferebatur impetu, qui solus aut ingruente mōrte repellere, aut jam exceptam elidere, & mox elisam in novam vitam convertere valet. In hunc omnem fiduciæ reponebat spem, huic cogitationes & vota dedicabat, hunc apprehendebat, non avellendus. Vnde nihil in corde, nihil in ore atq; sermone morituri versabatur aliud, quam JESV CHRISTI memoria, nomenq; dulcissimum. O felicem animam, quæ nondum ex hominum cœtu excesserat, & jam illud relinquebat: nondum mori posse desierat, & jam æternitatem inchoarat! Cæterum, diem Januarii quartum supra decimum, præsentis, cum quo volviimur, anni, Beatus FVERVS fatalem habuit, annos natus sexaginta quatuor, menses tres, & dies quinq;. Cujus obitum illico tanta consecuta est mœstitia, ut late palabunda, omnem urbem & compita impleret. Senatus parte m̄ ac ornamen- tum, Ecclesiæ Scholæq; Patronum, pupilli tutorem, Viduæ vindicem, pauperes altorem, omnes Cives Patriæ Paren- tem divelli à se & abripi misere querebantur. Nostræ impri- mis Vniversitati triste, calamitosum ac flebile accidit, suo præsidio ac solatio orbari: cuius uti favorem, auxilium & opem per tot annorum spatium experta fuerat, ita nunc, temporum pericula & sœvities, unice fecerant necessariam.

Enimvero, dum te, GABRIEL NVTZELI, Vir in  
tantum

tantum laudande, quantum Nobilitas, Virtus & Prudentia  
æstimari possint, qui FVRERO cœlitibus adscripto nuper  
successor datus es, respicimus, facis tu, ut quæ de miseria  
nostra metuebamus, in tui patrocinii fiducia veluti subsidant,  
& ut dolorem nonnihil leniamus, sedemusq; lu<sup>c</sup>tum. Quic-  
quid in FVRERO amisimus, quicquid dolemus ereptum,  
id in te recepturos nos, non speramus sed confidimus. Tu  
fuisti Ephorus, antequam fieres ; fuisti in votis, fuisti in ani-  
mis nostris atq; flagrantissimis desideriis. Nam, uti si FV-  
RERO similis quærebatur, nunquam fortasse repertus fu-  
isset ; ita si proximus, tu solus es. Quainobrem fove quæ-  
sumus, ac recrea miti tuo aspe<sup>c</sup>tu, & sereno vultu, hanc tan-  
to vulnere sauciatam Academiam. Tibi Religio & Pietas,  
tibi sanctitas Legum ac Juris, tibi Deorum inventum Medi-  
cina, tibi alma hominum sospitatrix Philosophia, supplices  
manus exporrigunt ; tibi Artes, & Musæ omnes, se proster-  
nunt, tu inq; implorant opem, ne aut vilescant conteintu,  
aut maciem contrahant extra solatium positæ. Pullæ hæ  
quidem, & Fordidatæ ac Fordidæ, genibus tuis adhærent ;  
erectæ mox tamen, & à te refotæ, resument virides laureas,  
quas posuerunt, & ornatus pristini decoribus velut trium-  
phaturæ superbient. Neq; tu, ô nostrum columen, neq;  
Vos, veteres suimi Scholarchatus munera Collegæ, Gra-  
vissime BEHAIMI, Prudentissime IM HOFI, & ne tu  
quidem JOH. PAULE PAVMGARTNERE, qui,  
(quod in perpetuum bene vortat) novus socius sacro huic  
ordini accessisti, Vir Sapientissime, adinonendi estis, qua  
necessitudine pignoris, qua religione auspicii, quo fati pu-  
blici

blici secreto , Deus Academiam vestræ curæ fideiq; commissam voluerit. Favete gloriæ vestræ, dignissima æternitate Nomina : imo favete Reipubl. non ornamenti modo, sed usibus ; quibus multam actus vim Academia subministrat : Nolite concedere, ut cuiquam vel ad suspicandum olim , vel nunc ad formidandum occasio præbeatur, quasi temporibus vestrīs, detrimenti aliquid Academia ceperit, aut captura sit. Habetis promptos & alacres ad provehenda in majus optimarum artium studia Doctores, ceu virtus , & anteaclī labores , de singulis pollicentur. Habetis strenuam & erectam ad eximias laudes nobilem juventutem , cujus agmen, naturæ & orbis decus singulare, bini Principes ducunt. Hæ FVRERI deliciæ erant : has se occumbente, salvas superesse lætabatur medullitus. Eadem vestrā quoq; fata , (serissima autem sint precamur) consequatur felicitas. Sic nos quotidie preces & bona verba, pro incolumente, salute, vita & gloria vestrā, nuncupabiimus , & asidue operabimur, ut famam & celebritatem avitis vestrīsq; beneficiis fœnereimur, quo maneant in animis hominum , in temporum perennitate.

De reliquo, bis omnino contraxit matrimonium FVRERVS ὁ μακαρίτης. Semel Anno 1642. cum MARIA MAGDALENA, Hieronymi Tucherī, Nobilissimi Spectatissimiq; Viri , Dicaesterii Norici Assessoris primarii & Judicis Werdensis suburbii, filia, lectissima Virginum. Erat enim ei excellens forma, & formam pudor, aliæq; ingenuæ virrutes omnes , honestabant. Vixit cum hoc

hoc annos septem , sine jurgio , sine offensa : ita quippe amarunt, & venerati se invicem semper sunt, ut qui non nosset conjuges , sanctissimum fratris sororisq; contubernium arbitraretur. Reddiderat hæc Maritum quaternæ pulchræ prolis parentem , sed per brevis vitæ ; atq; liberos, tandem Anno 1649. ipsa consequuta mater est. Cuius præmatura mors ita FVRERV M affixit, ut per tantum temporis quantum cum amantissima uxore degenerat, de ea amissa doleret. Ad postremum, cum amplius queri puderet , redintegravit ruptum conjugium , cum ANNA CATHARINA, Georgii Im Hofi , de Ecclesia, Scholis, Ærario, & universa Republica , meritorum splendoribus eminentissimi Senatoris filia , eximia Virgine, & in qua, hinc decora bellissimi corporis facies, hinc forma animi, excellere pulchritudines oinnes videbatur. Ex ista tergeiminam prolem suscepit, ternam masculinam, ejusdemq; numeri foemininam. Quibus tamen floribus , simul ac progerminarant, immisi Austri , eam stragem dedere, ut duo tantum periculum evaserint. Horum vero superstitum, dum Deus & fata sinebant, jucundissimo aspetto, indulgentissimus pater, mala, quæ acciderant, lenire, animum recreare, seculi, & annorum ad senium declinantis fastidium discutere solebat : hos pretia sua vivendi reputabat. Atq; sane GEORGIVS SIGISMUNDVS filius, natus ante hos septendecim annos, vultum habet virtutis avitæ ac laudis domesticæ luculentis notis persignatum : Animam vero ætatem ultra profert. Ei exsplendentis

G

descensis

descentis abunde egregiæ indolis omnia ac specimina gratulor ; & voveo , ut in Parentis vitam , tanquam in speculum inspiciat , atq; inde sumat exemplum sibi : Ut sequatur aut superet facta , tanti genitoris , ut virtutes ejus sine mentione suarum nusquam ingeri ant celebrari patiatur . Filia sexennis , M A R I A S O P H I A , mire venusta , concesfas illi ætati , vel vocis , vel gestuum delicias & gratias promit , miscetq; ob id miserabilis , quod nondum sentit orbitatem suam , & calamitates ex ea redundantes . Sed hujus , ne quid sinistri illi accidat , certo certius sedulam curam gerent , eamq; educabunt quasi ex ipsis nata esset , tres à Patre dati fidissimi Tutores , Viri Senatorii , summæq; apud quosvis existimationis , nam & eorum merita , doctrinam item , candorem , prudentiam , consilium , omnesq; mores , seculi Genio Numen æternum supervenit . Tuos potissimum , qui hic non tantum , sed ubiq; superemines eos , cum quibus componeris Viros , include CHRISTOPHORE FVRERE , quem sic cernentes audientesq; miramur , uti illos Θεοικέλας Patriæ nostræ Heroas , qui leguntur ; ac quorum nemo sine ingenti Reipubl. utilitate regnavit . Macte Vir , præclare per omnia merite , Deus te vivere & perpetua felicitate florere jubeat . Hoc adhibeo in prolixo voto , verborum compendium , quod expleto jam , quod concioni destinatum tempore , par est intelligi .

Nihil nunc restat , quam , ut te , valere jubeam , ô excelsa


celsa FVRERI τάς μακαρίτας Anima, quæ soluta parte  
imbecilliore tui, de labore, de fortuna, & postremo morte  
ipsa jam triumphas; quæ inter celeritates æternorum or-  
biuum, astrorumq; concursus, è quibus jam olim delapsa  
eras, oberras; imo, quæ illis abundas gaudiis, quæ nec  
mortalis oculus unquam vidit, neq; audivit auris, & nemi-  
nis cor subintrarunt; quæ ter maximi Numinis & Angelo-  
rum frueris amplexibus. Vale igitur nobis multum,  
Vale, Vale, aut, quod magis sacro affectu dici  
posse videtur, SALVE, AVE.

## D I X I.



G 2

EX



EX ORATIONE,  
 in Inauguratione novi Rectoris,  
 Calendis Quintilibus,  
 Dom. III. Trinitatis, AltdorfI,  
 in æde sacrâ  
 habitâ  
 à  
 JOHANNE SAVBERTO, D.

**N**on jam multis commemorare libet sive  
 tristia ac adversa, quæ superiori nos ex-  
 agit arunt anno, sed tenuere quandoq;  
 suspensos; sive lata ac felicia, que tamen  
 ista longâ vincunt serie, magnog;, ut divinæ boni-  
 tati placitum fuit, cumulo. In ipsis incendiorum  
 πανολεθείας minitantium flammis elucebat longè fla-  
 grantius optimi maximi DEI in nos summa boni-  
 tas, ac interminata majestas. Neq; Cesarei mili-  
 tis nobiscum constituta hiberna, ac effrenis hic illuc li-  
 centia, multum poterant nos turbare. Civium fu-  
 nera

nera extulimus : sed paucorum ; unius studiosi. Ac proinde sic satis salva hactenus omnia, nisi graviter vulnerasset concussissetq; nostram expectationem, universamq; publicam rem beatus ex mortalium consortio excessus Illustris Viri, GEORGII SIGISMUNDI FURERI, Ecclesiae, Academie & Scholarum nostrarum heu ! quondam Ephori meritissimi. Et verò natus ad honestatem ac decus generis seculiq;, Triumvir sanctissimus, præcipuam in primis habuit pietatis curam colendæ ; nec minorem servavit rationem & benè agendæ vite, & comprandæ doctrine. Quâ in re majorum suorum præstantissimos quosq; æquavit, reliquos superavit omnes. In acquirendorum bonorum librorum fru-  
etuosissimâ ac pulcherrimâ negotiatione fuit solertissimus ; solertior in per vestigandis iisdem, è quorum lectione utilissima quævis in succum sibi adeò ac sanguinem convertit, ut, quoties in sacris Ecclesiae, profanisve Reipublicæ consiliis occurreret ambiguum aliquid, arduum, hispidum, id omne quo dextrè ac promptè componeret dirimeretq;, ceu Delphicum oraculum, illicò habuerit ipse in numerato. Quantum, prob! profuit & Scholis nostris ? quantum singulis,

G 3

qui

qui discendi tenebantur desiderio ? non hortator solum, sed suasor, adjutor, impulsor, assistebat iis, quibus inesse perspiciebat aliquid ingenii acumen, aut voluntatem ad perdiscendum: nec solum haerentes ac remissos, sed incensos etiam ac sponte currentes ad studia doctrinæ reddidit alacriores, primum exemplo juvenis excitatissimus, inde salutaribus vocibus doctissimus eloquentissimusq; Vir, deniq; penetrantibus ac instantioribus monitis sapientissimus Senex. Patuit semper ad Eum aditus etiam minimis; audiebat benignè omnes, prudenter humaniterq; respondebat: ut omnium videretur quasi communis parens. Naturâ quippe fuit placidus ac clemens: ac præterea summa ejus integritas, continentia, moderatio adeò in omni ipsius vita decorum illud servavit, ut ne leve quidem dictum factumve in Eo repertum unquam fuerit indignum Viro bono & gravi. Talem, inquam, tantumq; amisimus FURERUM nostrum: Cujus præcomia clarissimi buccinatoris oratorisq; mollitis verborum globulis sententiisq;, papaverè quasi ac sesamo sparsis, audivit hesterna panegyris ac stupuit. Audiit pariter tamen, sensitq; jam-dum, ac sentiet amplius profectò, omnem, quam  
questi

questi meritò sumus , jacturam generoso spiritu resarcire nobis divinum Heroa (sic prænomen ejus interpretari liceat) successorem perinde illustrem, & quod cognomen, & totus ipse , quantus est, sp̄ondet, nil à Semone nisi utilia, commoda & quæ Ecclesiæ, ac literariæ rei emolumento sint, omnino exspectabimus. Et sp̄ectate insignia nec reticenda auspicia. Ejusdem scilicet munificentiae debemus egregium publicis Senatus conventibus, administrande justitiae, cognoscendis causis, cogendis consiliis , examinibus quoq; candidatorum ante hos quasi sex menses destinatum conclave, &c. &c.

F I N I S.



## SPHALMATA

ponora sic lege , & corripe : Pag. 4. lin. 22. tutelam. 8, 4. immorari.  
12, 1. voluptate. 14, 12. del. in. 15, 20. in edita. 17, 4. conveniens.  
27, 22. odium. 29, 3. syncretismum. 30, 18. proprius. 32, 6. expromfit.  
33, 13. ex tam. 38, 14. favoris. 50, 19. præconia.



